



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 110. Henricus olim Cardinalis in Lusitaniæ Regem proclamatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI bello supplici porrecto tandem Regi sup-
A.C 1578. plicaret, ut tunc, si cum spurixæ refor-
 mationis sectatoribus, prout fama spar-
 gebat, pacta inire necesse foret, saltem
 hæc clausula adjiceretur, quod ejus-
 modi pacta minime firmarentur, nisi
 adjuncta hac conditione, vi cujus Rex
 in Parisina urbe, totaque Franciæ In-
 sula proscrip̄ta omni alia secta unice
 tam publicum, quam privatum Reli-
 gionis Catholicæ exercitium stabiliret,
 hacque in re vicinarum Picardiæ, &
 Normaniæ Provinciarum exemplum se-
 queretur, quibus Rex eandem gratiam
 concesserat. Ergo communi consensu
 id a Rege esse petendum decernitur,
 hocque tenore supplex libellus confici-
 tur, ut vero is benevola mente excipe-
 retur, sequenti feria tertia in Ecclesia
 Sancti Martini de campis solemnis de-
 cernebatur supplicatio, qua necessarium
 Dei auxilium imploraretur.

§. CX.

*Henricus olim Cardinalis in Lusitaniæ
 Regem proclamatus.*

Cum Sebastianus Lusitaniæ Rex in-
 eunte anno Domini millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo octavo in Afri-
 cano prælio occumberet, mox quatuor
 Gubernatores. quibus eo absente totius
 regni cura fuerat demandata, mortis
 num.

nuntio Ulyssipone accepto, de funesto hoc casu Henricum Cardinalem certiorē reddebant. Hic Aulæ tumultus pertæsus ad Alcobatiense Monasterium secessit, quamvis Emanuelis Lusitani Regis, & Mariæ Castellanæ Filius proin defuncti Regis Patruus, ac legitimus regni hæres esset: quamprimum vero Sebastiani obitum compererat, ad Lusitaniæ Metropolin contendit, ubi omnes ingenti mærore pene consumpti videbantur: mox tamen Henricus solemnī ritu in Regem inaugurabatur; cum vero Ecclesiasticum statum profiteretur, ac Eborensis Archiepiscopus, & Cardinalis, atque aliunde jamjam sexaginta sex annos natus esset, hinc ejusdem regni Competitores quisque pro se factiones conciliare incæperant: adspirabant autem ad idem diadema præprimis Philippus II. Hispaniæ Rex, Philibertus Emanuel Sabaudicæ Dux, Rainutius Farnesius Dux Parmensis, Catharina Bragantiæ Ducis conjux, Antonius Cratensis Prior, spurcius ejusdem Ducis Filius, Ludovicus Pax-Julienſis Dux Henrici Frater, qui licet Cardinali oppido exosus, dextre tamen populi affectum sibi conciliabat: insuper de eodem regno contendebat Catharina Medicæa Henrici III. Franciæ Regis Mater, quæ tamen jus suum altius re-

Sæcul. XVI.
A C. 1578.

Sæcul. XVI. repetens, illud ab ipsis etiam Sancti
 A.C. 1578. II. Lusitanæ Regis temporibus dedu-
 cere nitebatur: denique Gregorius XIII. Papa ad Lusitanæ sceptrum adspirabat, cum hoc regnum Sedis Apostolicæ feudum esset, ac Cardinalium spolia Ecclesiæ Romanæ relinquere oporteret.

§. CXI.

Continuatum Belgii bellum ac Diploma ad Joannem Austriacum a Papa transmissum.

Thu. l. 66.
 Spond. hoc
 ann. n. I.

Philippus II, cum interea regnum suum Lusitano diademate augendi spe detineretur, haud parum terrebatur ob ingentes armorum progressus, quibus foederati singulis annis novas eidem urbes eripiebant: quapropter in eunte hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo utrinque maximi armorum apparatus instruebantur, ac præprimis Joannes Austriacus collectis omnibus viribus suis copias in aciem educere parabat: hæc cum interim gererentur, idem a summo Pontifice diploma recepit, quo tam ipse, quam omnes, qui ejus castra sequerentur, plenam suorum peccatorum condonationem a Papa receperunt, adjectis tamen quibusdam conditionibus. Sub idem tempus Alexander Farnesius Octavii Parmensis Ducis, & Margari-
 tæ,